

agimus. Illud modo videto, ut deum noris, etsi ejus ignores et locum et faciem; sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiamsi ignores et locum et formam. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita sit, certe nec secerni, nec dividii, nec discripi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, et secretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

*Animorum vis duplex.* Off. 1. 28. vid. infra.

Fin. V. 13. Animi et ejus animi partis, quæ princeps est, quæque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: unum earum, quæ ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariæ: alterum earum, quæ in voluntate positæ, magis proprio nomine virtutes appellari solent: quarum est excellens in animorum laude præstantia. Prioris generis est docilitas, memoria: quæ fere omnia appellantur uno ingenii nomine, easquæ virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum: quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam et reliquas ejusdem generis.

Tusc III. 7. Quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum; et reliquæ partes, totumve corpus statu quum est motum, deest officio suo et muneri: sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum. Munus autem animi est, ratione bene uti: et sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. Nunquam igitur est perturbatus.

Fin. V. 20. — Sunt clariora, vel plane perspicua, nec dubitanda indicia naturæ, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est